

Gamelbd.

010

de,

SYSTEMA ¹⁷
INFLVXVS
INTER ANIMVM ET CORPVS
VITII SVBREPTIONIS
ACCVSATIONE
LIBERARE CONATVR

ET
AD ORATIONES IVVENILES
D. XXIV. MARTII A. S. R. ∞ IOCCXXXVIII
PERBENEVOLE AVDIENDAS
AVDITORES HUMANISSIMOS
PEROFFCIOSE INVITAT
MICH. HEINR. REINHARDVS
TORG. LYCEI RECTOR

TORGAVIAE
LITERIS PETERSELLIANIS

LIBRARIUS
BENEDICTI
SOCIETATIS
ECCLESIAE
THERESA
EVANGELICAE
EPISTOLARUM

24

2014 11 24



Quemadmodum inde ab aliquo tempore scurrilis isque terribilis penes Philosophos mos invaluit, ut potius irrisio- nibus quam argumentis inter se depugnarent: ita in Wol- fianæ disciplinæ scholis nihil frequentius audias, quam virtutis subreptionis commissi illos accusari, si qui, hominis mentem atque corpus in se agere mutuo, contendant. Quod quidem subreptionis vitium dum tanquam nobile Logicæ augmentum, a magistris suis pri- mum inventum, laudant Wolfiani atque ita commendant, ut in hac mentis corporisque nostri coniunctione plurimum id valere arbitrentur, aut ego fallor, aut ipsi turpiter se decipiunt. Quando enim Philosophus Marburgensis vitium subreptionis ita exponit, ut illud definiat esse errorem in experiendo commissum, quo nobis vide- mur experiri illud, quod tamen minime experimur: a) intelligo, hæc omnia ita plana atque perspicua esse, ut nomen quidem novum audiām, rem vero novam & inauditam, quæ huic vocabulo subiecta sit, non videam. Adeo in ipsius vita communitate cernimus vulgo ad mendacia alterum referre, quæ alter tamen se testatur audi- visse, vidisse, sensisse. Quid vero magis usū venit in omnibus foris, quam ut modo testes modo reus & auctor sibi mutuo de iis con- tradicant, quæ tamen se oculis & auribus hauiisse affirmant, conten- dunt, jurant? Ita quidem res ipsa stupidissimis quoque hominibus cognita & perspecta est, ut omnino illos oporteat pudere, qui in re illa, quæ est in proposito, inventionem aliquam philosophicam, eamque novam, doctoribus suis volunt vindicare. Vocabulum eos invenisse & mendaciorum generi imposuisse, hoc quidem non ne-

a) Christ. Wolfius in Log. Lat. maioris §. 668.

gem, neque illos hac inventionis laude defraudabor, modo videant, ne sint, qui hic quoque locum habere illud dicant, quod philosophi ludant plerumque vocabulis. Sed fortasse isti volunt videri modesti & elegantes, atque, quod in vulgo dicitur mendacium, in philosophorum scholis audiri nolunt; sed, rusticum istud vocabulum solite fugientes, vitii subreptionis eos accusant, si qui se quid expertos esse mentiuntur. Vtunque autem haec sint, Wolfianos animadverto hac nova erroris appellationem uti maxime in reprehendendis aliorum philosophorum sententiis, ut habeant, quos ridere possint. Quando enim ad illorum hominum morem & consuetudinem animum attendo: ipsos video exemplo huius vitii condemnare viros etiam doctissimos, quoties his, licet duce experientia certa & constanti, de eventuum naturalium causis & rationibus alter atque ipsi pronuntiant sententiam, & ad ipsum illud experientia provocant testimonium. Enimvero habent omnino speciosam aliquam risus sui causam, dum negari nequit, si verborum subtilitatis delectamur, quod a sensuum perceptionibus ipsis discerni possint & interdum debeant ea, qua ex illis demum viri docti colligunt & argumentantur. Sed quam vetus, quamque iniqua sit hec eorundem disceptandi ratio, facile potest ostendti. Enimvero ista subtilitas totum nobis peperit & efformavit Scepticismum, si modo Pyrrhonicos philosophos ipsos audire velimus. Falluntur profecto ii, qui, Scepticos de omnibus rebus dubitasse, sibi aliisque persuadere volunt. Ipsi enim ab omni dubitationis suspicione liberarunt ea omnia, quae sensibus sunt subjecta. Sed quae, sensu duce & viam monstrante, affirmantur, ea demum sua indigere dubitatione existimarentur. Hos dubitacionis limites posuisse Scepticos, luculenter refatur Diogenes Laërtius, dum veritatem rerum omnium eos admisisse docet, quae sensum affiant, in iis contra omnibus retinuisse af-sensem, quae de iisdem asserant alii philosophi se experiri. b) Et fane

b) Laërtius IX, 103. ex Scepticorum mente: περὶ μὲν ὅν οὐδὲν ἔνθωποι πάχομεν, ὄμολογέμεν. Καὶ γάρ, ὅτι ἡμέρα ἔστι τοῦτο ζῶμεν, καὶ ἀλλὰ τῶν ἐν βίῳ Φαινομένων διαγνωσκομεν.

sane diligentissimus Scepticorum scriptor Sextus Empiricus summo studio & cura pluribus locis id contendit, ut nobis persuadeat, disciplinæ suæ homines non negare sensuum aut perceptionum certitudinem, iure autem dubitare de iis omnibus, quæ ex illis sensuum perceptionibus vulgo in scientiis affirmantur. c) Ecquid vero hoc est aliud, nisi ut credamus, Scepticos, sensibus suam concedentes fidem & veritatem, de illis modo dubitasse, quæ ex sensuum perceptionibus colligantur & asserantur? d) Itaque hanc Scepticorum rationem si comparamus cum Wolfianorum nostrorum consuetudine: sane videmus, utramque illorum philosophorum familiam in eo inter se consentire, quod sensuum experientiam ab iis secernant atque solicite distinguant, quæ ex sensuum testimonio affirmantur vel negantur. Neque propterea tam impudens velim esse aut videri, ut Wolfianos Scepticos nominis onerem invidia. Sed fareor bona fide, Scepticos semet a Wolfii discipulis separare atque sciungere plurimum, quod de nulla re, sensu percepta, quicquam ausi sint decernere aut fateri, eandem talem, qualis videatur sentiri, etiam esse. e) Mel dulce esse, non affirmo, dulce autem videri, confeo: f) ait Timon ille Scepticus apud Diogenem Laertium. Quam

A 3

qui-

Περὶ δὲ ὃν οἱ δογματικοὶ διαβεβαιῶνται τῷ λόγῳ, Φάμενοι πατελῆθεν, ἐπέχουσεν περὶ τέταν, οὐκ αἰδίλλων.

c) Sextus Empiricus Pyrrhon. hypotypos. L. I. Sect. 13. cap. 7.
τοῖς πατέραις φωτιστοῖς κατηνεγκατέμενοι πάθεστι συγκρατήσθεται ὁ Σκεπτικός· οἷον, εἰς ὃν ἂποι θερμανόμενος ἢ φυγόμενος, ὅτι δοκεῖ μὴ θερμανόμενος ἢ φύγεσθαι, ὀπλὰ μὴ δογματίζειν λέγουσεν· πατέρας ὁ δόγμα ἔνοι Φασί τινες τὴν τινί πράγματι τῶν τὰς ἐπισήμας ἡγεμένων αὐθίλων συλλαπάθεστον.

d) Idem ib. cap. 10. §. 19. Υπέχειν δὲ περὶ τῆς φαινομένης, ὀπλὰ περὶ ἐπείνα, δὲ λεγετούσεν περὶ τῆς φαινομένης.

e) περὶ μὲν τῆς φαινομένης τοῖσιν ἢ τοῖσιν τὸ ὑποκείμενον, εδεῖς ἵστως αὖ φισβητεῖ· περὶ δὲ τᾶς, εἰ τοιστόν ἔσιν; ὅποιον φαινεται, ἡγετάτη. Id. l. c. cap. XI. Sect. 22.

f) Laert. IX. 105. τὸ μέλι ὅτι ἔσι γλυκὺν, εἰ τίθημι, τὸ δὲ ὅτι φαι-

νεται,

quidem sententiam vel Wolfio vel huius sectatoribus nemo facile tribuat. Sed, illud tamen iam evictum & demonstratum me dedisse, opinor, quod illud discrimen experientiae & argumentationis, ex illa collectae, pridem a Pyrrhonicis hominibus sit & animadversum & ad naufragium usque inculcatum, in cuius tamen inventione, & nobile illud subreptionis vitium Wolfiani querunt, & tantopere gloriantur. Reliquum igitur est illud, ut, quo iure illi, qui mentem corporis hominis in se agere statuunt, huius subreptionis vitii condemnentur, nunc demonstrem.

Namque primum vix esse aut fuisse unquam philosophum alicuius acuminis aut nominis, facile contendam, qui tam audax aut tam temerarius fuerit in affirmando, ut, se sensisse aiat motum illum internum, quem mens producat in corpore, aut rursus sensu percepisse viam & rationem, qua corpus proferat in mente perceptiones, agitationibus suis conformes. Deinde, quando ad vim agendi mutuam, que sit inter animum & corpus, recte & ordine demonstrandam, philosophi nonnulli nisi sunt experientiae testimonio, quid in his culpandum sit, aut quare sint subreptionis vitii criminatione obruendi, plane non video. Quid enim magis in more positum est apud doctissimos cuiusque generis & doctrinæ viros, quam ut experientiae tribuant, quod tamen ipsi potius, sensuum ope & subsidio, ratiocinando querunt & demonstrant? Medicorum filii sane, dum morborum causas scrutantur & indagant, et si has, quoniam occultæ sunt atque latentes, nunquam sensibus haurire possunt, tamen illas experientia adscribere non verentur, quod illas ex sensuum documentis & testimoniosis recte se colligere, imo non raro conjicere se posse, norunt. Ecquid vero usitatus est in iurisconsultorum scholis, quam ut experientiam commendent, atque eam contendant docere, quod haec illave via reos convincendi, testimonia eliciendi, aut causidicorum fraudes & infidias evitandi

νεται, ὁμολογω. In quo loco, pro τῷ μὲν ὅτι ἐστι γάλακτον, legendum τῷ μὲν, iam monuit Io. Alb. Fabricius ex S. Empirici verbis consentientibus Pyrrhon. Hypotyp. L. I. Sect. 20. ad h. l.

tandi sit commodissima atque optima, quam tamen tantum abest, ut sola sensuum fide assicuti sint, ut potius eam exemplorum copia & consensu cognoverint & intellexerint ratiocinando. Non tu ridiculus fores cum tua Philosophia tuisque subtilitatibus, si iureconsultos, si medicos institueres docere, quomodo deceat loqui, & quomodo non debeat dicere, se ab experientia discere ea, qua potius mentis suæ vi & contemplatione, licet iusto sensuum ministerio opitulante, ipsi consequantur? Quod vero medicis, quod iuris peritis hominibus concedis, quare tu idem denegabis philosophis, modo id caveant, ne sensuum fidei & autoritati tribuant, quæ nullo aut dubio saltem eorum testimonio nituntur? Neque ferenda est tyrannis, quam sibi philosophus assumere velit in sermonis consuetudinem, neque eius toleranda est arrogantia, qui audeat primus corrigere innocentem & consuetam virorum doctorum distinctionem, eos propterea reprehendere superbe, & vitii, nefcio cuius, identidem accufare, ut scilicet solus sapere videatur. Sane si hos tantum subreptionis vitio Wolfiani condemnarent, si qui perperam quid & male collectum attribuerent aut vindicarent experientiae, tunc haberent ius suum aut disputandi aut arguendi. Sed vero hic ante omnia vitii subreptionis corrigenda esset Wolfiana definitio, ut non hos, qui sibi videntur experiri quod minime experientur, sed illos vitium illud committere doceamus, qui sibi videntur experiri, quod neque experiuntur, neque recte colligunt ab experientia argumentando; aut, si paucitatem verborum desideras, quod nulla nititur sensuum fide. Ad hæc nihil est facilius, quam iusta & legitima argumentatione adhibita, docere, quod ipsa illa vis agendi in se mutua, quam menti arque corpori humano tribuimus, clara arque constanti experientiæ voce & testimonio confirmetur. Namque ne adversarii nos accusent, quod perperam instituerimus nostras ratiocinationes, age, sequamur ipsum Wolfum atque illa præcepta, quæ de argumentatione, ab experientia oriunda, tradit. Quoniam enim hic ex effectis, quales sunt mutationes corporis & mentis convenientes, inquirenda est eorundem causa: Philosophus noster monet g) ut primum attendamus ad actionem, quæ ad ea efficien-

g) Wolfius Log. Lat. mai. §. 717. Si dati effectus inquirenda est causa

efficienda sit necessaria; deinde quæramus aliquid, in quo vis talia producendi insit: denique ut, si cause plures esse possint, examineamus, utrum earum ibidem affuerit praesens, ubi effecta adesse reperimus. Centum autem exemplis facile posset comprobari, quod in Phisicis scientiis eadem ratione causas rerum investigandi idem Philosophus utiliter utatur. Iam vero in promptu est, quod mutationem corporis omnem, quæ cum mentis convenient voluntate, aliqua exercitatio motus præcedat consentanei, in mentis vero mutationibus, quæ cum corporis sensuumque commotionibus consentiant, oritur quædam conformatio imaginis seu speciei, quæ rem, corporis sensum tangentem, referat. Nonne autem etiam illud in confessio est, si a Deo immortali discesseris, ne quidem causam ullam singularem ex cogitari posse, a qua tot motus corporis admirabiles, & perspicua intelligentiae simulacra referentes, provenire queant, praeter quam a sola vi mentis nostræ celerrima & plane stupenda. Cumque gravissimæ adsint cause, quæ, Deum ipsum corporis nostri sic commovendí dicere autem, nos iure prohibeant: quare mentis illam facultatem derogemus, quæ eadem sola & tantum est dignissima? Etsi enim novi, Cartesianos hanc facultatem animo nostro denegare ideo, quod omnis motus productio in corporibus proveniat ab attractu partium extremarum, quibus tamen animus, quia est spiritus, minime sit instrutus: tamen hæc parum nos moveant, quoniam & in Deum sunt iniuria, & de ipsius motus natura audacter nimis pronuntiant. Namque, quoniam non motus ipse est in corpore producendus, sed tantum vis motum producendi in eodem

excus.

1. expendendum est, qualis res, quæ mutationem subiit, ante eandem fuerit, & qualis post eam deprehendatur; inde enim intelligitur, qualis actio requiratur ad mutationem, quæ facta esse supponitur, inducendam. 2. Perlustrandæ sunt res notæ, ut appareat, num inter eas aliqua occurrat, a qua illiusmodi actio proficii valet, vel an plures occurrant, que simili coniunctis viribus eandem edere possint. . Nisi illæ fuerint sola, a quibus illiusmodi actionem expectare licet, inquirendum, an cause illæ fuerint ibi præsentes, ubi effectus datur sicut prodactus. Hac enim ratione nobis innotescere causam dati effectus, si quidem eam detegere in potestate nostra possumus, demonstratione non est opus.

excitanda est, nescio, quare non mens nostra æque possit vim illam corpori suo conferre, ac ipse Deus omnem vim motus initio rerum in corporibus produxit, & in iisdem collocavit. Vt autem hac similitudine eo libentius, quia uterque, & Deus & animus noster, est spiritus, & ex eadem intelligi potest, spiritus naturæ non repugnare, ut vim motus producat. Atque si corpora tantum possunt tamen vim motus, quæ in se est, cum aliis communicare: non propteræ idem tactus a spiritibus, qui novam excitant vim movendi, etiam postulandus est. Evidem video, huic sententia illud in primis obstat, quod vires motus hac ratione semper multiplicentur in mundo, de quibus tamen iam sic demonstratum, quod semper sint æquales. Sed quæ de viribus motus, semper in mundo aquilibus, disputantur & obiciuntur: neque sunt ita in tuto locata, ut acutissimis Anglorum & Philosophis & Mathematicis se potuerint comprobare, neque, etiam si vera essent, sic nos decipere debent, ut propteræ Deo velimus denegare omnem potentiam & facultatem alia ratione illam movendi virium æqualitatem vel conservandi vel restituendi. Sed ut vere dicam, quod sentiam, ne quidem necesse habeo, illos circulos Mathematicorum turbare, aut disputare solicite de virium illarum æqualitate vel retinenda vel reddenda. Enim vero, ut motus, mentis voluntatis consentaneus, in corpore oriatur, non opus est nova vi motus gignenda, sed sufficit, ut mens illam vim motus, quæ iam per se in corpore semper inest, ratione consentanea dirigat atque gubernet. Quæ dirigendi vires motuum facultas si menti nostra vindicetur, & aequalitas virium illarum constare, & omnis reliqua huius negotii difficultas commodius forte solui & expediri potest. Differunt enim hæc duo inter se plurimum, novam vim motus creare, & vim priorem tantum ad finem, quem sibi mens proposuit, dirigere & conformare. Quid autem indicavi supra, illos, qui spiritui facultatem agendi in corpus abiudicent, esse etiam in Deum ipsum iniurios, id facile apparer. Quia enim Deus quoque est spiritus & caret partibus extremis, & ea de causa his corpora attingere nequit: aut Numini summo, creatori & conservatori rerum omnium h) eadem potestas movendi

B

cor-

b) Quam quidem opinionem a se removet ipse Christ. Wolfius dicens: Wer

corpora deneganda est, aut illud salem confitendum, quod cum spiritus natura non pugnet, agere in aliquod corpus. Atque, si hanc quoque Dei & mentis nostræ comparationem deriserunt Woliani, quoniam plurimum inter se differunt spiritus finitus & infinitus, Dei maximæ potentia & mentis nostræ facultas: tamen hoc velim considerent, quod neque de spirituum potestate hic sit disceptatio sed de eo, quid spirituum, quia sint partium expertes, naturæ repugnet; neque tam id queratur, quomodo uterque spiritus in corpus aliquod agat, quam potius, utrum agere possit. Aliiquid autem in re esse posse, credimus tum, cum idem rei naturæ non repugnare appareat: uti, in re præsenti, spiritum in corpus agere posse, probamus, quia exemplo Dei constat, idem non contradicere spiritus naturæ. Aliud vero omnino est docere modum & rationem agendi, quæ hic forte nunquam ad amissim posse demonstrari, licet verisimiliter inventienda sit: & aliud est id tantum contendere, quod spiritus agere hoc queant. Sed quia in hunc disputandum campum descendit, etiam breviter, & quantum haec pagella permittunt, paucis ad ea respondebo, quæ nuperrime i) celeberrimum virum Reinbeccium huic opinioni video opposuisse. Namque, multos motus in corpore præter mentis humanæ voluntatem contingere, ostendit; multos quoque

con-

dieses liest, der sollte auf die Gedanken können, als wenn ich mit ausdrücklichen Worten diesen Satz behauptete: Es sei der Natur eines Geistes überhaupt zu wieder, in einem Körper zu würcken. Unterdessen steht dieses nicht allein nirgends in meinen Schriften, sondern da ich Gott eine Kraft belege, das möglichst würcklich zu machen (§. 102. Metaph.) auch durch diese seine Macht die Schöpfung (§. 103. Metaph.) und Erhaltung der Welt (§. 104. Metaph.) erwölfe, und keine Kraft der Creatur belege, als die sie von Gott erhält (§. 105. Metaph.) so kan ein jeder erkennen, dass ich es der Natur eines Geistes nicht überhaupt entgegen zu seyn erachte, in die Materie oder Körperliche Dinge zu würcken. vid. im klaren Beweis,

p. 49.

i) vid. Io. Gustav. Reinbecks Erörterung der Philosophischen Meinung vor der so genannten Harmonia Præstabilita: ubi nostra sententia opponit §. 11. motus corporis, qui sunt præter voluntatem hominis. §. 2. motus corporis, qui contra voluntatem nostram contingunt §. 10. demonstrare contendit, quod nulla facultas mentis possit indicari, a qua vis agendi in corpus dependeat.

contra eiusdem voluntatem esse demonstrat: denique illud considerandum esse monet, quod nulla mentis facultas possit indicari, a qua vires movendi, quae sint in corpore humano, dependeant. De corporis commotionibus, quae sunt præter mentis nostra voluntatem, & quales sunt omnes illæ, quae ad corporis conservationem perrinent, querit dupliciter, quomodo illæ non aequæ ac reliquæ a mente proficiuntur, & quare, si haec sint corporis propriæ, etiam reliquæ huius motiones potius menti quam corpori sint tribuenda. Sed omnino discrimen illud tenendum est, quod inter motus corporis mechanicos & inter voluntarios intercedit: quorum illi ad corporis machinam, in suo motu servandam, spectant; hi vero mentis facultati subiiciendi sunt, quoniam, licet se invicem sequantur, aut simul sint, tamen differunt adeo inter se, ut a nulla vi mechanica corporis possint derivari, nec eo ordine inter se coniuncta esse, nisi dicamus, mentem pro arbitrio suo corporis vim movendi dirigere & determinare. Ut circularis motus sanguinis, concoctio cibi, eiusdem digestio & excretio potest ex mechanica corporis nostri structura, tanquam causa sua, deduci. Sed quod homo iratus, exempli causa, in minimo temporis momento, cunctum formare gestus & motus in vultu, brachia projicere, pedibus pulfare terram, tot brachiorum & manuum, tot pedum quoque incitare articulos, denique omnium corporis membrorum externorum mutare statum & figuram: haec omnia, tam diversa atque varia locis & membris, quomodo mechanice atque simul tam brevi tempore inter se possint conneßeti, id demum velim mihi monstrari, nisi potius ab una irati hominis voluntate dicamus cuncta ista provenire, que illa inter se copulet vi sua unica & sola determinandi vim movendi, quae in corpore est, ad suum finem. Eadem ratione in tot tamque variis motionibus, quae se invicem excipiunt; ut in scribendo aut loquendo, ubi totidem diversos motus fieri videmus, quorū sunt literæ inter se coniungendæ: quomodo illæ singula commotiones, tam inter se differentes, possunt se tam mirabiliter sequi, cum earum posterior nulla quicquam cum priori habeat commune, & tamen nihil esse possit sine sua legitima causa? Quæ motum, sibi invicem succedentium, summa varietas, quoniam a mechanica structura corporis derivari nequit: necesse sane est, ut a voluntatis nostræ, cum qua

optime consentiunt, facultate aliqua determinandi vires motuum proveniat. Sint igitur mechanici motus proprii corporis, quia veniunt a membrorum compositione & machina: & motus reliqui, quia ulla corporis structura nequeunt formari, relinquuntur menti nostræ, idque eo magis, quia sunt voluntarii. Sed quid iam fieri de illis corporis motionibus, quæ non solum præter, sed etiam adeo contra voluntatem nostram in corpore nostro accidenti, & quales in morbis esse quamplurimas, negari eo minus potest, quo magis sœvæ morborum dolores exhorrescimus & aversamur? De his quidem satis constat, quod etiam istæ a structura corporis mechanica, tunc quidem corrupta & affecta, omnes oriuntur.

Quod si autem voluntati nostræ esse reperiuntur contraria, num propter hunc dissensum animo nostro illa facultas neganda est, quæ dirigat vim motuum in corpore? Ego quidem hoc intelligo, mechanicos illos in morbis motus esse vehementiores, quam directionem mentis, motus corporis determinantem; & determinacionem eam, quæ a corporis structura dependet & fit partium impulsu, esse fortiorē illa, quæ est spiritus, id est nostri animi, quia impulsus omnino magis motus omnis naturæ viderur convenire. Etiam illud animadverto, motus illos, voluntati nostræ adversantes, eo ipso, quod sunt vehementiores, æque impedire facultatem mentis, vim motus dirigentem; ac ratiocinandi facultatem impediti cognoscimus animi commotionibus concitatis. Sed illud non video, quare propter impedimentum illud, quod in moribus illis, nobis invitatis contingentibus, exoritur, denuo menti nostræ illa potestas, vim motus in corpore determinandi, possit iure ab iudicari. Sane impedimenta rei agentis non tollunt eiusdem facultatem agendi. Atque, quo minus quis menti facile derogabit facultatem argumentandi propter commotiones animi ipsius, non raro contrarias: eo maiori postulamus iure, etiam menti nostræ, propter motus corporis contrarios, ut ne denegetur facultas vim motus in corpore determinandi.

Descendo igitur ad illud, quod fuit tertium, & postulat, ut demonstretur saltem, a qua mentis facultate illa vim motus dirigendi qualitas possit oriri. Sed enimvero, quia in eo, quod aliud determinat, etiam facultas determinandi inesse intelligitur: sane a qua facultate

cultate alia motus voluntarii tandem proficiuntur, nisi ab ipsa voluntate, vim movendi ad illos formandos dirigente & determinante? Atque, quod commodo fieri potest, si modo ad voluntatem referimus etiam appetitum, quem vocant, sensitivum: facile vides, qua ratione etiam & appetitus cibi seu portus a nostra voluntate impediatur, que saepe id, quod ante voluit, mutat atque vult interdum quoque contrarium; & quo pacto appetitus sensitivus brutorum animalium, qui est quædam quasi voluntas inferioris præstantia arque dignitatis, vim motus in horum quoque corporibus dirigere & gubernare possit; & quid respondendum sit ad reliqua argumenta viri acutissimi Reinbeccii, qui propterea negat facultatem illam dirigendi inesse posse in ipsa voluntate quod & brutis competat, voluntatis liberae experibus, & voluntas hominis quoque non raro retineat & prohibeat ipsum illum sensitivum appetitum.

Iis itaque destructis atque reiectis, quæ sententiae nostræ opponuntur, iure id mihi sumo, ut mentem in corpus agere posse dicam, donec meliora argumenta afferantur, quæ illam facultatem mentis repugnare suæ corporis naturæ demonstrent. Quam facultatem, tantum abest, ut credam spiritus naturæ adversari, ut potius eidem maxime consentaneam eam apparere, contendam ex iis, qua de Spiritu aeterno, Deo, luculentur constant. Namque si modo illam virium motus æqualitatem in mundo salvam esse velimus: certe opus est, ut dicamus, Deum maximum in miraculis perpetrandis non tam necesse habere, novas motuum vires creare & producere, utpote quæ illam æqualitatem turbarent, quam potius eum vires motus in mundo aliter, arque huius leges naturales postulant, dirigere & determinare, atque hac ratione preter, imo contra naturam mundi maxima illa efficere miracula. Sane video, illis, qui in miraculis novam vim motus statuant produci atque creari, hanc necessitatim impositam esse, ut, miraculo turbatam, æqualitatem virium motus novo miraculo restitui debere, contendant, nisi eam velint plane esse sublatam. Quid? quod in multis miraculis, atque, ut exemplo utar, in transitu illo Israëlitarum per mare rubrum; ubi repente, baculo Mosis arresto, mare affluens stetit ut murus, eodem de-

fluente ab Euro propulso: Deus maximus non facilius intelligitur tanta tamque stupenda contra leges motus omnes efficere & consequi; quam si dicamus, eundem vim illam ipsam impedire & aliter, atque leges eius volunt, determinare. Quia autem Deus sapientissimus profecto utitur facilissima via exequendi sua consilia; quis non videt, facilius & commodius in miraculis vim motus, quæ in mundo est, nova ratione determinari & dirigi, quam ipsam vim movendi plane novam gigni atque creari? Quodsi vero eiusmodi facultas, determinandi vires motus, decere maxime iudicatur Deum immortalem, qui est spiritus: nonne igitur hoc quoque iam patet, quod talis facultas universæ spirituum naturæ si potius consentanea, quam ut huic illam adversari dicamus? Nobis quidem sufficit demonstrasse, illam in spiritu, qualis etiam nostra mens est, inesse posse.

Sed nunc opus est, ut accedam ad partem alteram huius disputationis, quæ est de corpore nostro, in sensationibus etiam agente in mentem. Antequam igitur argumenta diluo contraria, primum id assumo, quod mens nostra sit spiritus, vi cogitandi & volendi quidem, sed indeterminata, sic a Deo instructus, ut Deus non singulas cogitationes & volitiones eidem indiderit, sed ut ipsa mens secundum certas sue nature rationes, & pro sua facultate producat illas omnes atque efficiat. Quia igitur mens nostra omnes cogitationes pro sua propria facultate efficit atque gignit; atque idem quoque de sensuum perceptionibus confitendum est: in his quidem tribuo corpori humano facultatem determinandi vim cogitandi mentis suæ indeterminatam, ad eius generis cogitationes formandas & pro sua facultate efficiendas, quæ cum sensuum suorum commotionibus convenient. Sicut enim facultas ratiocinandi a Phantasia aut sensationibus determinatur, ut potius de hac quam illa re mediteretur: ita quoque simile quippiam hoc est, ut facultas sentiendi, mentis propria, determinetur a suo corpore, aut potius a nervis illis sensuum tenerrimis, in cerebello unitis. Atque, cum rerum omnium, quæ in mundo contingunt, ortu & praesentia fiat, ut Dei mens aeterna de illis, tanquam nunc & vere ortis atque existentibus, cogitet, licet nemo audeat affirmare, quod res creatae huius mundi illas cogitationes in divi-

divina mente efficiat & producat: sane simili quadam ratione fieri potest, ut præfentia & ortu motionum, quæ in sensibus corporis contingunt, cogitationes, rem illam, quæ sensum tangit & moveret, referentes, in mente nostra exoriantur & pro huius facultate sola, sine ulla corporis efficientia earum in eadem proveniant. Quia cum ita sint, recte inde colligitur, in corpore aliquid inesse posse, ex quo cognosci queat, quare spiritus aliquis hoc, non vero illud cogiter; sicut rerum in mundo præsentis facit, ut Deus de illis, tanquam existentibus, iudicet: atque cum haec ipsa indicare velim, dum corpori tribuo facultatem dirigendi & determinandi vim cogitandi, quæ in mente inest; eandemque facultatem in solis sensationibus mentis locum habere posse affirmem: hoc saltem me assûrsum esse confido, ut appareat, eiusmodi facultatem determinandi vim mentis, neque corporis, neque ipsius spiritus naturæ repugnare. Quodsi igitur Cartesii aut Leibnitii sectatores & cum iis k) Theologus magna celebritatis, Reinbeccius nobis opponunt illud, quod corpus & illud, quod sit corporeum, non possit efficere aliquid incorporeum, qualis est omnis mentis cogitatio: quis iam non vider, haec talia mihi non contradicere, qui corpori non concedo vim efficiendi cogitationes, sed tantum determinandi vim mentis ad cogitationes, motibus eius conformes, pro sua natura producentas. Maiorem habent difficultatem, quæ idem vir summus l) moneret, non sufficere, ut dicas, quod mens & corpus in se mutuo agere possint

l) Reinbeccius I. c. §. 23.
 m) l. c. Da die Gedanken etwas uncörperliches sind: so müste man nach dem Systema influxus glauben, daß Körperliche Dinge etwas unmaterialisches und uncörperliches wirkender Weise hervorbrächten, da denn wieder die gemeine Regel efficitus nobilior seyn würde sua causa. Dies ist denn aber auch der Haupt Zweifels Knoten, den man von Seiten derer, die das Systema influxus sich gefallen lassen, gründlich zu heben suchen muß, schwerlich aber anders, als durch einen Macht. Spruch wird heben können, daß man nemlich sage, es könne dergleichen wohl geschehen, ob man gleich nicht wisse, wo es zugehe. Welch Auseinander aber so viel als nichts heißen würde. Denn die Hypothesis soll eben erklären, wie das zugehe, was man aus der Erfahrung weiß und lehret. Wenn man nun diese Erklärung nicht geben kan: so kan man zwar in Thesi wohl richtig seyn, allein die Hypothesis fällt weg.

possint, nisi etiam ostendas, quomodo hoc ipsum fiat, neque illum de mentis corporisque coniunctione novam hypothesin afferre, qui non declarare possit, quo pacto haec eadem sit comparata. Iam vero facile animadverto, milii hoc quoque obiecti posse, quod nondum abs me sit expositum, qua ratione illa directio & determinatio modo mentis in motibus voluntariis, modo corporis in sensationibus, fiat atque contingat. Sed adversus haec omnino habeo, quæ iure respondeam. Primum universa illa systemata, quæ inventa sunt de corporis & animi unione, eo tendunt tantum, ut declarant, quomodo mutationes corporis & mentis convenire inter se possint; non autem se ipsa quoque exponunt aut explicant, quomodo efficiant id, quod efficere debent. Sic Cartesiani suo systemate occasionum monstrant, quod corpus & animus inter se consentiant, cum Deus ipse motus voluntarios in corpore, sensationes in mente, per se efficit & producit: non vero declarant, quomodo Deus, salva corporis machine, aut salvis naturalibus animi legibus, quas sequitur in cogitando illud ipsum prestat. Sic Leibnitianii sua harmoniae præstabilitate inventione indicant, quæ ratione mutationes corporis & mentis inter se convenient: minime autem demonstrant, quomodo tot tamque diversissime, tum sensationes in mente, tum motiones in corpore possint in illa Harmonia inter se uniri, cum nulla earum præcedente vel motu vel cogitatione aliqua determinetur. Sic ipse ostendi, quomodo consensus inter hominis corpus & mentem locum habeat, intercedente mutua illa determinatione: Sed haec ipsa determinatio quo pacto utrinque fiat, non expedio. Alia est omnino hypothesis de modo coniunctionis, quæ est inter animalium & corpus humanum: & alia est demonstratio de modo ipsius hypothesis stabilendiæ. Sic nostra hypothesis ostendit, rationem & modum illius coniunctionis consistere in mutua determinatione; sed ipsius determinationis modum nondum explanare possum. Si instant Wolfiani & me urgent, ut determinationis modum illum explicem arque declarem: viciissim ab iis postulare mihi licebit, ut ipsi prius ostendant, quomodo Harmonia & concordia aliqua inter tot diversos motus voluntarios, quales modo simul sunt, modo se invicem excipiunt, possit conciliari; aut quomodo coniunctio aliqua

aliqua inter sensationes, adeo differentes, quæque pariter, modo simul menti se offerunt, modo se invicem sequuntur, esse queat. Ita sane est, ut locum hic habere possit illud Terentianum, sententia paululum inflexa:

Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam continuo.

Sed profecto multa sunt rationes, quæ commendant nostram sententiam, quasque non tam operose explicare, quam verbo, indicare, hac pagella permittit. Primum, multis video esse huius generis determinationes in mundo, a quibus res excellentes proficiscuntur, fini illa harum efficientia. Sic, exempli causa, agricola, vinitor, hortulanus, alii rete colendis agris, vineis, arboribus non ipsam vim frugiferam in illis efficiunt, sed eam determinant sua opera & arte ad maiorem præstantam fertilitatem. Sic in ipsa mente, facultatem ratiocinandi a Phantasia & sensationibus determinari, supra ostendi, licet nemo asserat, ratiocinia ipsa ab illis effici & formari. Quare igitur determinatio talis, qualis frequentissima est in mundo, non etiam in homine ferenda esset? Deinde quid est planius, quam nostram sententiam tum corporis machinam, tum spiritualem mentis naturam, salvam sartamque servare, neque talia miracula fibi depofcere, qualia vel harmonia præfabilita vel occasionalismus exigit? Pulchra hæc sententia tuerat libertatem hominis, & iustitiam tum præmiorum tum pœnarum, quibus afficiantur tum corpus, tum ipsa eius mens. Facile hic intelligitur, quare mens & corpus fibi invicem sint præsentia, & hac ipsa præfabilita inter se coniuncta; cum ex Cartelianorum & Wolfianorum opinione nulla necessitas adesse intelligatur, quare animus debeat præfens esse suo corpori. Optime nobis convenit cum mundo corporeo, cuius vires æquales hic semper conservantur. Imo ex hac mentis facultate vires movendi corporis determinandi, tanquam ex similitudine quadam, facilissime potest cognosci, quomodo in miraculis perpetrandis illa ipsa virium motus æqualitas non perturbetur. Quid vero dicam de Deo immortali, cum cuius & sanctitate & gloria hæc opinio melius convenit, quam vel Cartesiana vel Wolfiana, dum hic apparet, quomodo ad peccata hominum non concurrat, & omnino excellenter & gloriösius quid Deus præstít, quando vim cogitationes ex se producendi in animo nostro creavit, quam si ipsas cogitationes in illo posuisset aut adhuc formaret? Ut igitur reliquias difficultates, quibus premuntur Wolfiani & Cartesiani, & quæ hic facile solvuntur, iam non attingam, sane illa sententia, quæ Deo, quæ homini & finguili eius partibus & facultatibus, quæ toti denique mundi corporei machinae est maxime consentanea, aliquo modo verisimilis dici meretur. Illud saltē adhuc moneo, quoniam suspicor fore, qui arguant, me non tam Systema influxus tueri, quam determinationem mutuam stabilire inter animam & corpus; quod & philosophi, qui actionem in corpus & mentem mutuam defendunt, illud relinquunt minus explicatum, qualis illa actio sit, neque tamen nos prohibeant m^m id ipsum explicare forte planius; &

C

quod

m) Vocabulum influxus, pro quo substituo vocem determinationis, minus

quod talis determinatio etiam actio quædam sit & dicatur, dum & agricolam, vi-
nitorem, hortulanum id agere in agris, vineis & arboribus dicuntur, ut eos redi-
ciant fertiores, & phantasia id agere in facultate ratiocinandi iudicetur, ut de
hac potius, quam de alia re, arguitur, cum tamen illam actionem omnem
ostenderimus contingere quadam determinatione.

Tandem, quia memini, Christ. Woflsum aliquibi determinationis voce uti-
de harmonia sua præstabilita; opus est, ut huius vocabuli ambiguitatem doce-
am. Ille mentis cogitationes a sensu motibus ait determinari, sicut etiam
in mente corporis motus; dum sensu commotionibus aut volitionibus ho-
minis, quas in hoc fore prævidit Deus, determinata est divina voluntas ad con-
formes sensationes in mente, aut consentaneos motus in corpore, producen-
dos. Ego contra contendo, determinationem tuum vis cogitandi tum virium
motus fieri non in divina voluntate, sed in ipsa mente & corpore humano. Ille
negat mentem in corpore, corpusque in mente aliiquid efficere & operari. Hoc
ipsum affirmo, dum corpus mentem, & hanc ipsam suum corpus affero deter-
minare. Atque, quando doceo, determinationem fieri sine efficientia; id nego,
quod corpus in mente ipsas cogitationes, aut mens ipsos motus efficiat & pro-
duceat: Non autem nego sed aio, mentem in corpore efficere, & hoc operari,
ut vis motus in illo dirigatur ad motus convenientes efformandos; aut corpus
in mente illud efficere atque consequi, ut huius vis cogitandi ad sensationes
consentientes preferendas determinetur. Hoc ut planius faciam, paucis indi-
cabo, quid tulspicer & coniicin de modo illius determinationis. Animadver-
to, teste experientia, omnem sensuum motum sequi aliquam imaginem in
mente, quam ne auditus quidem & gustus respicit; atque omnem motum ve-
luntarium antecedere in mente eadem imaginem quandam rei efficiendæ &
motus

commodum esse iam monuit Theologu celeberrimus Jo. Fried. Bertram
in Beleuchtung der neugedachten Meynung von der harmonia præsta-
bilita §. 28. p. 40. Es stoßen sich, inquit, die meisten an dem Wort Influ-
xus, und bilden sich ein, sie wären dadurch gehalten ein materielles Ein-
fließen der Seele in den Leib zu statuiren, obgleich ohne hinreichenden
Grund. Wäre es nicht besser, wenn man sich bey dem allgemeinen
Ausdruck der Mittheilung oder Communicationi befriedigte, und die
Bestimmung der Art und Weise huius communicationis bis auf jene
hohe Schule ausgesetzt seyn lassen? Oder könnte man unter gleichmäßiger
Moderation und Mäßigung nicht das Wort Impulsus, Antreiben, ge-
brauchen. - - - Melanchthon redet im . . . Buch de anima p. 12. also
davon: Verum est animam esse primariam causam & fontem, ut aliarum
actionum, ita motus localis, sed propiores causa quærenda sunt. Sunt au-
tem duas imaginatio seu deliberatio & appetitio. His obtemperant nervi
mirabili fodere naturæ, sed impelli tamen eos spiritu exultino, cum videli-
get in imaginatione & appetitione agitantur spiritus.

motus ad id necessarii. Imaginis vero producio non solum in spiritu, qualis mens est, locum habet, sed etiam in corporibus, ut in oculo, aut speculis. Quia igitur imagines illæ & spiritus & corporis esse possunt; atque ea dem reperimus semper sequi sensuum motiones, semper precedere motus voluntarios: idcirco, intercedente illius imaginis efformatione, fieri illam mutuam determinationem posse, suspicarer. Quo accedit, quod quasi videtur mens nostra intueri imagines huius generis in capite, in cuius cerebro definit nervorum motus, a sensibus ortus, & incipit concitatior nervorum, ad motum voluntarium efficiendum commotorum. Quem in finem autem mens nostra ante motum voluntarium semper de re efficienda, eius loco, motionibus ad id necessariis, & membris movendis, mens nostra tam claram imaginem excitaret, nisi illa motus voluntarius ab hac imagine proficeretur? Nam & ad motus producendi sensatione sufficit, ut illa imago sequatur, non opus est ut precedat; & imago phantasia, quam non sequitur corporis motus, non ita clara est. Nonne autem omnem imaginem mentis sequitur nifuis aliquis & contentio ad motum in corpore proferendum, licet hic a voluntate impediatur subinde? nonne ille motus interdum plane exoritur quoque nobis invitis, voluntate non sat cito aut fat fortiter ad motionem illam impediendam properante? Nonne propter illum nifum nervorum excitandi motum corporeum, cum mentis imaginibus conyenientem, ipsi illi nervi agitantur, atque totum corpus, in quo sunt dispersi, a diuturna & continua meditatione defatigatur? Quare vero omnes motiones, etiam in gusto, olfactu & auditu peragendas, antecederet aliqua imago, qua est visus & tactus propria, nisi imago illa ad motum illum concordum esset necessaria? Cur opus est, ut in oculo imago rei visae oriatur, cum mens sensationis imaginem ex suo finu eliciat; nisi natura ipsa nos docere velit, mentem illam imaginem, in oculo formatam, & ad nervos cerebri propagatam, quasi intueri & hac ratione sensationem similem sic in se excitare; sicut unum speculum imaginem, in altero speculo formatam, excipit & imitatur? Sicut igitur mens determinatur ad sentiendum, dum conscientia fibi est imaginis, vi nervorum efformata: ita corpus determinante videtur a mente, intercedente huius imagine & ad eodem nervos continuata & propagata.

Sed satis multa de illa causa, qua mutationum mentis & corporis contentanearum esse possit, ubi forte liberaliter iusto fui, dum etiam verisimilem sententiam nostram reddere volui. Reliquum autem adhuc est tertium illud, quod Wolfius in causa effecti alicuius querenda postulat, ut videamus, si plures causa eius esse possint, utra earum eidem fuerit praesens. Quia igitur solum Deum, & mentem nostram cum suo corpore, illorum effectorum causas esse posse constat, atque utrumque, & corpus & mentem, coniunctiore praesentia, propter hominis sui unitatem, inter se unita est intelligitur, quam, Deum maximum cum iis praesentem esse, reperimus, qui & omnibus aliis locis simul praesens est, neque sua praesentia hominem, ut illæ partes, conflituit: sane haec ipsa praesentia mentis & corporis perpetua facit, ut potius utrumque mutuam

¶ ¶) o (¶ ¶

fuarum mutationium causam esse dicamus, quam Deum ipsum immortalem.
 Cum vero secundum Logica præcepta Wolfsi iam & inventi, quæ causæ nostrorum effectorum esse possint & utra carum fuerit præfens: iam mihi licet interrogare, utrum hac ratione etiam veram invenerim causam? Si vero hæc causæ vera inventio etiam nititur certo experientia testimonio; & legitime ex hoc collecta est: licet mihi tandem id quoque iam querere: num ii, qui corpus & mentem hominis in se mutuo agere contendant, iure possiat vitii subreptionis vel accusari vel condemnari?

Sed ut hæc scriberem, & systema influxus vitii subreptionis accusatione liberare conarer, occasio mihi suppeditata est a iuvenibus duobus, quos sua modestia, ingenium & doctrina facile commendat, quique iam bonis omnibus in academiam abire utiliter constituerunt. Cum enim hi duo, quos sui honoris causa hic nomino,

Ioannes Sigismundus Silbermannus, Rieffensis Misnicus, de amicitiae veræ comparandæ rationibus, &

Ioannes Christianus Wehrius, Weissenfels. Misnicus, de amicitiae veræ utilitate, iucunditate & raritate,

ex more nostri Lycei, orationis Latinæ, propria diligentia plane confectæ, specimen ante abitum suum edere & postea uterque carmine Germanico nobis dicere vale decreverint; atque ipsis amicissimus

Ioannes Henricus Spindlerus, Numburgensis, oratione, de amicitiae veræ constantia, præmissa

eos bonis votis prosequi nomine commilitonum communis, secum constituerit: ita quidem volui præfari, ut mihi aditum pararem hac qualicunque scriptione, ad auditores humanissimos invitandos. Vt enim publice gratias decentissimas iam patronis & amicis Lycei nostri persolvo, quod tam frequenter & tam benevolè in postremo nostro actu oratorio voluerint comparere: ita iidem & me & illos oratores iuvenes sibi maxime devinctos & paratos ad omnia officiorum genera habebunt, si cras, quod faustum & fortunatum sit, hora nona ante meridiem in auditorio nostro maximo adest, & illas orationes

juveniles pro sua erga nos benevolentia audire non dedignentur.

Dedi e museo d. xxiiii Martii A. O. R.

¶ ¶) o (¶ ¶

oo I : CCXXXVIII.

AB:155056

VD 18

ULB Halle
003 085 112

3



TA → SL
nur 75 Blatt /

VDT7

R

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres
Inches



17
STEMA
LVXVS
IMVM ET CORPVS
SVBREPTIONIS
CCVSATIONE
ARE CONATVR

ET
TIONES IVVENILES
II A. S. R. 10CCXXXVIII
NEVOLE AVDIENDAS
ES HUMANISSIMOS
OFFICIOSE INVITAT
EINR. REINHARDVS
RG. LYCEI RECTOR

TORGAVIAE
IS PETERSELLIANIS